



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

lesu Christi Annus. M.D.XCIII. Sancti Patris Benedicti. M.C.X.III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

lateque celebratus. De eo sic Henriquezius: *Valde dexter, inquit, fuit in negotijs gerendus, exactisque observator eorum, quæ Regula Monastica requirit. His tantum profecit, ut ad magnas dignitates illi viam sternerent: in quo non plurimorum, sequutus est consuetudinem, qui honoribus raro meliores evadunt, sed ferè ad peiora prolabuntur; sed consuetam secutus est humilitatem & sinceritatem, quam in Religione professus fuerat.* Præfuit diversis Monasterijs, tantaque dexterritate subditos sibi commissos, rexit, ut omnes eum majore dignum honore putarent, & in Generalem Congregationis Reformatorem eligerent. Et quamvis hæcenus se diligentem pastorem, piùm Patrem, & Rectorem prudentem exhibuisset, tamen in hac dignitate videtur seipsum superasse; nam ita commodo gregis sui consulebat, ut licet multis exterioribus occupationibus, & maximi ponderis negotijs distraheretur, tamen nihil magis quam interius animarum commodum promoveret. Venit & Virtutis & eruditionis ejus fama ad Philippi II. Hispaniarum Regis aures, qui eum Olivetanæ Monasterij in Navarra sibi Abbatem elegit. In quo aliquot annos summa cum pietate domum illam gubernans transigit. Non tamen ideo litterarum exercitium neglexit, sed perdius & pernox in eo erat, & ut venturo ævo prodesset, reliquit eruditionis suæ monumenta:

Hi Gene-
ralis Con-
greg.

His erudi-
tionis fa-
ma.

Ingenij
monimen-
ta.

*In Magistrum Sententiarum Libros quatuor in folio.
Compendium Privilegiorum Congregationis Hispan. Librum I.*

De mortis anno nobis non constat. Videtur tamen vitam ulterius, ad nostrum usque sæculum produxisse, & plura alia posteris reliquisse.

Ven. Pius
Episcopus
Fundanus.

Hoc ipso etiam anno, plucherri-
mum Ordinis nostri ornamentum Pius, Fundanus in Campania Italiae Episcopus, cælo asseritur, vir & genere illustris [ex antiqua nimirum Lotteriorum familia, patria Neapolitanus] & Religionis ac naturæ præcipua bonitate, juxta sui nominis Etymologiam singulariter commendandus. Fuit Monachum in Archisterio mundi principis Casinate professus, in S. Severini in Urbe Neapolitana reformatissimi meritissimus Prior, Fundanus

denique Pontifex à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, æquissimo meritum ponderatore creatus, & de grege suo optimè meritis, *De quo consul. Ferdin. Ughellus, Plac. Rom. Arn. Duac &c.*

Pium pietate ac cæteris meritis proxime assequutus est Anastasius Ubertus, Casenas patriæ, Monachus & Cellerarius S. Mariæ de Monte, haud procul Casena, vir præter innocentiam & perfectioris vitæ insigne, monili insuper doctrinæ ornatissimus, qui Immolesium in Flaminia Pontifex electus, verbo & exemplo, ovibus suis præclare præluxit, & pastor sedulus ovile Domini fideliter custodivit; atque insuper, nonnullis lucubrationibus suis, qualis & quantus fuerit, ostendit, *Ughellus prædictus, & Arnoldus, &c.*

Ven. Ana-
stasius Im-
molesium
Episc.

IESU CHRISTI ANNU S. M. D. XCIII.
Sancti Patris Benedicti. M. C. X. III.

Redivivus si uspiam alias, in Bernardo suo & sacra familia sua Cisterciensi BENEDICTUS, iterum incomparabili se luce prodit, in Laurentio de Zamora, ingentium meritum viro. Is in nostro absolutoris Reformationis florentissimo Horto, Hortensi Cænobio Monachum professus, cum ibi florentissima juxta pietatem excelleret litterarum studia, in utroque excelluit ad stuporem exercitio, & mirum, cum in altero vix parem haberet, in Regulari tamen perfectione & virtutum omnium assequutione, omnes longè transgredi visum esse. Factus ex discipulo paulo post Magister & Professor in Sancti Claudij in Galletia, disciplinarum Philosophicarum celeberrimo Emporio, ibi Aristotelica præcepta, uti laboriosissimè, ita utilissimè & ingeniosissimè explicavit. Inde in Castellam translatus, congestas ex assidua lectione sacrarum Scripturarum divitias uberrimè in densissimo Auditorio profudit. Accessit profundissimæ eruditioni, tanta oris facundia, verborum gratia, ut vix ulli uspiam Verbi Dei præconum primas cedere videretur. *Clamavit enim, inquit Henriquezius, nec cessavit, quasi tuba exaltans vocem suam; & annuncians populo scelera eorum. Nec veremur eum Ecclesiasticæ dictionis Tullium, Theologiae Homerum, rationum Fidei Aristotelem, & Paulum in pulpitu Christiano differen-*

Laurentius
de Zamora.

Profundis-
simè doctus.

Justine
viri Elogi-
um.

tem merito nominare. Sic enim demulcebat, ut vincos quasi Auditores teneret: ita docebat, ut Divinis sensibus aures impleret; ita exhortabatur, ut virtutum ardoribus animos inflammaret. Quis narrare sufficit, quot sceleratos homines ab inferorum faucibus extraxerit? Quot mundi vanitatibus insatiabiliter deditos, ad eorum contemptum revocarit? Quot denique calius vocatos, per virtutis iter direxerit? Et cum ceteris floretet virtutibus, gratiam tamen charitatis erga proximorum salutem singulariter obtinebat, quorum Spirituales vite profectum nos ipsi vidimus, & admirati sumus. Cum enim præter incommoda vergentis ætatis, nervorum fluxu, & membrorum destitueretur officio, tanto nihilominus charitatis fervore flagrabat, ut aliorum sublevatus auxilio, constanti animo Cathedram, ad populum admirabili multitudine confluentem verba prædicationis facturus, ascenderet. Quæ tanta Mentis alacritate peregit, ut corpus tot ac tantis infirmitatibus oppressum, membrorum omnium officio fungi visum sit; quo tamen, (mirabile dictu!) peractis concionibus, protinus destituebatur. Tantius ei erat animus victor laborum, & cedere nesciens infirmitati. Et licet celestium rerum esset contemplator assiduus, in quo nempe studio Spirituali gratiam obtinuerit singulararem, omnisque ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat; frequenter tamen Spiritu Divino urgente, studium hoc lucris uberioribus, scilicet animarum postponerebat; doctus quærere, non quod sibi utile erat, sed quod multis. Cum tanta igitur vir præclarus Virtutum omnium claritate fulgeret, nihil ei prius fuit, quam hominum laudes, & transitorios mundana gloriæ fucos, totis viribus devitare, & tanquam unum sese agere ceterorum. At prosequeretur gloria fugientem, Abbatisque dignitatis ei honos & onus imponitur. Quæ vero prudentia suæ curæ commissos tractavit, quæ modestia ac lenitate ad pietatis studium perduxerit, quis dignè explicare valeat? Verum neque his angustiis sedibus, tam admirabilis doctrina, tam illustris vitæ morumque sanctitas concludi potuit, quin gratia longè latèque odore se prodens, primo totius Ordinis Generalis Visitator exposceretur, tandemque Dissinitoris, cogere officium capescere. Sed de Laurentio plura suo loco. Cælos plausu implet hoc anno, felici è terris transitu sanctæ me-

moræ Ascetæ, Hortensis, sæpius jam celebrati hæc felicitate Monasterij, Pater F. Martinus de la Fuente, vir opinionè sanctitatis clarissimus, qui in Monasterio S. Claudij morbo præoccupatus, non sine signis Gloriæ, quæ ipsum statim à morte expectabat, ex hac mortalitate decessit. Rapto in extasi multa ostensa fuisse creditum est, cujus à morte vultus Angelicum quid repræsentare visus est. Marri- que, in Compend. observ. Hisp.

Elevatum hoc ipso anno est Avenione in Gallijs insigni solemnitate corpus Sancti Agricoli, ejusdem Urbis ex Monacho Litrensi Episcopi, quàm sæpè sapius plurimis sæculis prodigiosissime defendit, & pro immortalibus meritis Ejusdem Tutelaris eligi meruit, usque hodie in miraculis & beneficijs Redivivus. De quo ita Vitæ scriptor: Norunt, inquit, hujus civitatis cives, quoties cum periclitaremur, & magnis undique circumsepti essent calamitatibus, crexerit, arcendo quidem hostes crudelissimos atque potentissimos ab hujus urbis manibus. Norunt cives, quoties ab imminente clade suos defenderit? Norunt quoties tela intentæ jugulis civitatis, extorserit. Norunt quoties faces jam accensas ad hujus urbis incendum protulerit, comprehendens, extinxerit. Sensere cives ejus auxilium, cum pernitiosa quedam lues grassaretur, quacum eadem civibus, interitum patriæ, insidias urbi molirentur hostes, ut à quibus non poterat esse iuta civitas propter nimiam pestis grassationem, ignibus postea [miraculosis illis] tui esse capere cives &c. Cui enim, pergit, frugum fructuumque reliquorum perceptio & conservatio debetur? cui gloriosam Caroli III. Victoriæ contra Albigensium impetum propulsandum populus detulit? cui salubritas civitatis, aëris moderatio adscribetur? nisi huic Deo Agricolo, &c. Tacebone, quoties cum terra esset aridissima, cum in supplicatione sanctissimum illius caput efferreretur, maximi imbres è Cælo demissi sunt, & reddita sunt segetes uberiores? &c. Ita citatus scriptor; durantibus usque hodie Beneficijs, ut diximus, ut huic quoque in hodiernam diem plurimum debeat Sedes Romana, ob suum ad hanc urbem singulare diversis sæculis refugium, sapius in Agricolo suo experta B E N E D I C T U M reapte R E D I V I V U M.

I E S U

Quantos
Christo lu-
cretur!

Zelus mi-
rabilis ac
fervor.

Honorum
fuga.

Marinus
de la Fuen-
te.

Signa Glo-
riosa.

S. Agricoli
nostri ave-
nion. Episc.
Elevatio.

Insigne
sancti Pont.
Elogium